




Longit. Grad. XXVIII. 9. Latitud. LI. 38.

Hæc ad differentiam prioris vocatur Vesalia inferior, siue Clivorum: nam prior illa Treurenſis fuit. Sita est in ripa Rheni dextera, siue Germanica, ad confluentes Lupiæ & Rheni, quæ se minor annis in maiore exonerat. Porro frequens eius est apud Tacitum mentio: qui narrat, inter Lupiam & Amisiam (oritur autem uterque in Vvestphalia, sed diverso cursu, ille versus Occasum lapsus Rheno postea miscetur, hic in Septentrionem conuersus Oceano Germanico mergitur) in saltu Teutoburgensi cæsum fuisse Quintilium Varum cum legionibus Romanis ab Arminio, memorabili illa clade quam prolixè describit Paternulus. Ad huius igitur fluminis ostium sita Vesalia, opportuno admodum mercaturæ loco, ingenti ex vicinis agris rerum incremento, potens & diues facta est. Eberhardus Comes Cluiæ & Teisterbandiæ nonus (fuit autem Teisterbandia ditio illa omnis quæ Mosæ, Vahali & Rheno circumscribitur, in qua etiam hodie insignia sunt dominia) largus fuit in personas Ecclesiasticas religioni consecratas, itaque multa illis donasse dicitur. Vnum exstat adhuc monumentum quod ita sonat, ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCC XXV, EBERHARDVS Comes & BERTHA vxor sua nobilis matrona de stirpe Caroli Magni, & Luitprandus Comes, Berengarius Episcopus Tullensis filij eorundem, constituerunt duas congregationes Ecclesiarum, vnā in VVISSEL, ordinis Canonicorum, & aliam in NVSSIA, ordinis Canonicarum, sub Gunthero Episcopo Colonienſi. Sub Arnaldo II Comite Cluiæ decimo septimo extiterunt Godefridus & Otto Comites de Kappen-

berch Monasterium Virginum extra muros, vbi se Lupia in Rhenum exonerat. Theodorico VIII dedit Rudolphus Habsburgensis Vesaliam, cum Castro Rhynbergenſi. Theodoricus IX qui filiam Alberti Austriaci Imperatoris vxorem duxit, ius habuit in Vesaliam & Rhynbergam, idemque conventum Prædicatorum Vesaliæ instituit. Adolphus Dux I Cluiæ Curiam Vesalia extruxit. Edidit & viros eruditos Vesalia: atque inter eos eximium Arnoldum, cui a patria cognomen Vesaliensis. Hic commentarium scripsit in Decalogum, editum Coloniz anno 1542. Initio motuum Belgicorū hospitium hic fuit, per fugis Hollandis, Zelandis, Artesijs, Flandris, Brabantis, atque ex peregrinorum sollertia creuit opibus, mercatura, potentia. Sed postquam Hispanus nullam sibi inuadendi Batavos viam reliquam patere intellexit, quam per Cluiam & Gelriam, exposita fuit semper inuasionibus & excursionibus potentiorum. Franciscus Mendoza Archithaſſus Aragoniæ anno M D XCVIII extorta a Magistratu ingenti pecuniæ vi, eo adegit Senatū, vt coactus sit anno sequenti etiam religionē mutare, admissis in templa omnia Pontificijs. Post obitum vero Ducis Cluiæ, occupavit urbem Ambrosius Spinola, eamque adhuc ingenti præsidio Hispanorum militum obsessam in sua potestate habet: intentus in omnes occasiones, quibus progredi vterius, & Gelriam, Transsalaniam, cum Diocesi Traiectensi posse partis adiungere. Ac nisi conatibus ipsius Illustres Ordines Vnitarum Belgiæ Prouinciarum iussent restitum, iam pridem rem confectam habuisset.

Text iij